



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Io. Baptistæ Portæ Neapolitani Magiæ Naturalis Libri  
Viginti**

**Della Porta, Giambattista**

**Frankfurt, 1607**

Liquores ferrum durissimè temperantes. Cap. V.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70772)

possint, experimentum capiendõ optimæ versionis in chalybem, & eandem opem impendendo durissimi fiunt. Docebimus

*Lorica quomodo temperari debeat.*

Requirito lorica ferream mollem, & vilis pretij, quæ in ollam indatur, vicissim sparsis pulveribus supra memoratis, & operculatæ, & superlutatæ, ne exipiet, sufficientem adhibeas ignem, mox suo tempore ollam ferreis forcibus apprehendito, & malleo olla percussa, ignitam totam lorica in aqua præarrata extingues: nam ita durissima efficitur, vt facile pugionum ictibus obstat. Mensura pulueris erit, si lorica decem, aut duodecim libras æquabit, duas, & dimidiam libras pulueris appone. Vt vndique adhæreat puluis, mædefacito lorica aqua, mox in puluerẽ reuolues, & alterna stratura in ollam accommoda. At quia durissima effecta est, ne vehementi ictu frangatur annuli, & in partes dissiliant, oportet duritiei neruũ addere, operarij *reuenire* dicunt. Ex aqua exempta in dolio exagitetur ex aceto, vt poliatur, & color perspici possit. Inde lata lamina ferrea igniatur, & lorice pars, vel tota supra distendatur: vbi color cineritius, operarij *beretinum* dicunt, apparuerit, denuo in aquam proiecto, & retunditur ea durities, & facilius ictui cedit, & sic ex vilissima lorica omni ictui repugnantem habebis. Acrium temperatura durities ferro conciliatur, & cum eo fragilitas, sed nisi neruus addatur, leui ictu in partes dissilit, ob id necessariũ est, vt neruum conciliare perfectissimè addiscant.

*Liquores ferrum durissimè temperantes. CAP. V.*

**D**IXIMVS antipathia ferrum cõstringi, sympathia dilatari, pinguium amico cõsortio fruitur, & aperiantur pori, vnde mollicies, contra, astringentia, frigidaq; constipantia poros, inimica contrarietate durissimum reddunt, ob id facere videntur, non omittendo tamen, quæ sui proprietate id agant. Si optaretur

*Serram temperare, quæ ferrum secet.*

Serra ex optimo chalybe fiat, & suo armamento accom-

modetur, ne extinctione inorqueatur. Inde canalem ligneum parato, longitudine ferri ferræ, qui contineat liquorem ex aqua, alumine, & vrina, flagrans ferrum immerge, & amoue, & expecta colores, vbi violaceus venerit, totum immerge, donec frigescat. Non omitteremus tandem arco filo id posse fieri in arcum tenso, smiri puluere, & oleo, nam ferrum, vt lignum secabis. Temperantur etiam

*Hami piscatorij, vt fiant durissimi.*

Pars venationi piscium hamus erit: nã paruus & fortis sit oportet, si magnus, à piscibus videtur, nec deglutitur, si paruus ingenti pondere, & agitatione rumpitur. Si mollis, dirigitur, euaditq; piscis, vt igitur validi, subtiles, nec ore dirigi possint, hoc pacto temperabis. In messorijs falcibus fiant ferrea fila, vel ex optimo chalybe, & formentur hami, subtiles, & parui. Igni non excandescant, nam eos exest: Sed ignitæ laminæ ferreae superponantur, vbi rufescunt, in aquam proijciantur, refrigerati capiuntur, resiccanturq;: mox denuo lamina calida reddatur, & hami denuo imponantur, vbi vêtro cineritius color, aut beretinus vulgo apparuerit, denuo in aquam immergantur, vt neruosi fiant, nam fragiles essent. Sic habes

*Cultri vt durissimi fiant.*

Albertus, à quò cæteri, ferrum acrius fieri dicit, si temperetur succo raphani, & aqua lumbricorū terrestrium, ter, quater, quod nos quum sæpius & succo raphani, & armoraciæ, & lumbricorum temperauerimus, semper mollius, vt plumbum euenit, & falsum reperimus, vt cætera sua. Sed hoc modo chalybem durissimū efficiemus, vt eo solo sine temperaturâ, durissimos cultros efficias. Diuides chalybem in parua frustilla, veluti luforias tesseras, atq; contingua superligentur virgæ ferreae, ferreo filo religando, igni imponantur, vt excandescant, & scintillent saltem quindecies, merganturque his pulueribus, qui constat boracis nigrae parte vna, corticum coclearum, ossis sepia duabus, mox malleo contunde, vt simul vniantur, & cultros, aut quæuis alia efforma-

bis,

bis, nam durissima erunt. Est enim species chalybis excellentissima: quæ solum aquis temperata durissima efficitur. Est & altera minus bona, quæ nisi optimè temperetur, semper peiore euadit. Hæc est

*Scalpri temperatura ad incidenda  
marmora.*

Ex optimo chalybe formetur scalprum, igni excādeat; vbi roseus color, vel rubeus fuerit, aquis intinge, mox remoue, & secundus color attendatur, vbi aureus apparuerit, in aquam proijcito. Simili ferè modo fit

*Scalprum ad ferrum secandum.*

Vbi idem rubens rosæ color apparuerit, mergatur in aquam, vel acrem liquorem, quem docebimus, & attendendus secundus erit fuluus, vel frumentaceus, & illic in aquam proijce. Hæ sunt optimæ

*Ensum temperatura.*

Oportet enses neruosos esse, ne, dum punctim ferimus, rumpantur, oportet etiam acutam aciem habeant, vt cum cæsum ferimus, obruncēt, secentq;: hic erit modus. Oleo, & butyro corpus temperabis, vt neruum habeant, acribus aciem, vt cæssionis robur recipiant. Idque vel canalibus faciunt ligneis, vel laneis pannis madidis liquore: vt ere ingenio, & solertia.

*De scalpri temperatura, quod porphyreticum marmor incidat. CAP. VI.*

**V**ALDÈ familiaris maioribus nostris fuit scalpri temperatura, quo tam facile porphyreticum marmor incidebant, vt infinita testantur opera, quæ ad nos peruenerunt, sed modus à nemine traditus, ac penitus ignotus, non sine maximo nostri temporis opprobrio, quod pulcherrimas, & viles inuēiones negligit, & parui pendit. Nos vt ab hac noxa immunes effemus, anxietate, laborib; & impensis quęcunq; ad manus venerant, vel in mentem, experti sumus, varijs methodis, varijsq; experiētijs dirigēdo, vt id assequi possemus, tandem, fauente numine, multo nobis latior apparuit aditus